

longe plures fuerunt: iique a nobis descripti sunt alio loco. Quod si Concilium esse testatur traditionem Ecclesiae, Mariam veniali peccato immunem fuisse, generalibus nititur testimoniis eorum Patrum, qui Deiparae immunitatem adscribunt ab omni peccato. Non enim potest singularibus niti, quae veniale peccatum ab illa removeant. Prioris autem generis innumera esse veterum Patrum testimonia perspicuum est. Atque ad illa respiciens Tridentinum Concilium, Mariam exemit a veniali peccato. Nam sub omni peccato etiam veniale continetur. Si ea Patrum testimonia genus omne peccati ab illa rejiciunt, bene habet. Quod si non rejiciunt; ergo Concilium operam ludit, cum propter illa testimonia immunitatem decernit a veniali peccato. Quippe dixerit aliquis, sententias illas generales peccatum excludere, non veniale, sed omne mortale. Nam, quemadmodum docet B. Thomas (a), *proprie loquendo peccatum veniale non causat maculam in anima*. Fuerit igitur & impolluta, & immaculata, & prorsus immunitas ab omni labe Deipara, cum eo tamen, ut venialem culpam admitteret ex Patrum sententia. Quod si dicere & impium, & haeticum est, fatearis oportet, iisdem Patrum testimoniis immunitatem ab omni culpa, & veniali, & mortali, & originali non obscure significari.

Præterea si Conceptionem innoxiam idcirco esse negas traditioni consentaneam, quod primis saeculis de illa fuerit altum silentium; hoc etiam dicas necesse est, *transubstantiationem, & causam formalem justitiae nostrae* non convenire cum traditione. De his enim altum silentium primis saeculis fuit. Quid dico primis, cum illa primum audita sit in quarto Concilio Lateranensi, posterior autem in Tridentino? At enim Ecclesia vetus, quamvis careret nominibus illis, res tamen ipsas significatas probe tenebat. Bene volo. Quippe mihi auctor es, ut idem dicam de Conceptione. Nihil est frequentius in Patribus antiquis, quam Matris Divinae cum

(a) 1. 2. *quæst.* 89. *art.* 1.